

debitum antea certum sive jus creditoris certum dubia abrogatione exstingui non posse. Nam ut hoc axioma verum sit de dubio et probabili *facto* solutionis (quod aliquo sensu fateor, ut exponitur n. 960): in nostro casu de *juris* probabilitate potius agitur, quam quilibet, etiam debitor, pro se invocare potest. Quare quum utraque interpretatio legis probabilis sit, et ea quae affirmat, et ea quae negat, praescriptionem in foro conscientiae validam esse: creditor jure exigere et recipere potest solutionem a debitore, qui vult solvere; debitor jure solutionem potest negare.

924 6. Ut autem praescriptio omniaque ad eam spectantia rite intelligantur, explicandum superest: 1) quid sit praescriptionem non procedere; 2) quid sit eam non currere, eam suspendi, et quando suspendatur; 3) quid sit praescriptionem interrumpi, et quando id contingat; 4) quid sit illi, contra quem praescribitur, concedi restitutionem in integrum, et quomodo id agatur.

Igitur praescriptio dicitur *non procedere*, si inchoari nequit; — dicitur *suspendi* seu *non currere* seu *dormire* certo aliquo tempore, si illud tempus inter spatium lege assignatum non computatur; — dicitur *interrumpi*, si, ut valeat, denuo integrum tempus lege statutum incipere debet. Quando autem haec obtineant, si quaeris, nota praecipue sequentia:

1) *Non procedit* praescriptio secundum diversa jura contra pupillos, saltem si tutorem non habent.

2) *Non currit* praescriptio (generatim saltem jura diversarum regionum hos favores concedunt): a) tempore, quo judicia exerceri nequeunt propter contagionem, belli tumultus etc.; b) contra ecclesiam Romanam aliasve tempore schismatis, si quod existat (*decret.* l. 2 t. 26 cap. 14), aut sede vacante, seu ecclesia rectore suo orbata (ib. cap. 1 et cap. 15); c) contra eos, qui jus suum prosequi nequiverunt v. g. propter absentiam officii causa, propter defectum, quo sui juris non erant<sup>1</sup>.

3) *Interrumpitur* praescriptio generatim loquendo: a) si possessor ultra annum possessionem rei amiserit; b) si lis circa rem juridice ei a domino illata est, neque a iudice rejecta (accuratior autem definitio conditionum necessariorum ex diversis legibus peti debet); c) si mala fides superveniat.

4) *Restitutio in integrum* beneficium juris est, quod aliquando iis, contra quos praescriptio est perfecta, conceditur, ut, non obstante legitima praescriptione, actionem possessori intendere possint, contra quem iudex praescriptionem rescindat. Quare antequam iudex sententiam tulerit, possessor

<sup>1</sup> Non omnia jura eodem modo de minoribus aliisve impeditis loquuntur; *aliquod* autem privilegium vix non omnia iis concedunt, videlicet saltem *jus restitutionis in integrum*.

Jus Rom. *pupillos* ita tuetur, ut contra eos nec inchoari, nec continuari possit praescriptio; *minores*, ut, etsi inchoari contra eos et continuari possit, tamen 1) non nisi praescriptio 30 annorum, 2) ita ut iis per 4 annos, postquam majores facti sunt, competat jus restitutionis in integrum.

Jus Boruss. (L.-R. § 535 etc.) 1) non admittit contra *minores*, ut praescriptio per non-usum *inchoetur*, quamquam, si minor curatorem habet, praescriptio inchoata currat; 2) in aliis praescriptionibus, si tempore minorennitatis et non-emancipationis completa fuerint, per 4 annos conceditur beneficium restitutionis in integrum.

Jus Austr. statuit, ut quamquam praescriptio *currat*, tamen nunquam contra *minores absolvatur* nisi post 2 annos, postquam facta fuerit emancipatio.

Jus Gallic. (a. 2252) simpliciter statuit, contra *minores* et *interdictos* praescriptionem *non currere*, nisi quoad praescriptionem certorum debitorum.

sese ut legitimum dominum considerare potest, neque rem tenetur reddere; post iudicis sententiam autem res redit ad priorem dominum.

Haec conceditur generatim, nisi aliter provisum sit: a) minoribus per quadriennium post majorenitatem aut emancipationem; b) ecclesiis aliisve locis piis item per quadriennium post completam praescriptionem; c) iis, qui plane impediti erant a prosequendo jure suo, juxta iudicis prudentiam.

## § 2.

*Quaedam pro confessario circa praescriptionem.*

I. Confessario imprimis scitu necessaria sunt, quae valent 1) in 925 praescriptione mobilium; 2) in praescriptione quorundam jurium et servitutum quae in sua regione frequentius occurrant; 3) in praescriptione liberativa debitorum; 4) quae et qualis bona fides requiratur in *qualibet* praescriptione, ut discernere valeat, num praescriptio fori externi in conscientia sustineri possit.

II. De bona fide occurrit singularis quaestio, si bona aliena a possessore malae fidei transeunt ad haerem. De quo haec nota:

1. Quamquam alias possessio defuncti cum possessione haeredis coalescit in utilitatem haeredis; tamen, quum primum probatur, defunctum mala fide fuisse, evidens est, illius possessionem nullatenus posse computari, qua legitimum praescriptionis tempus compleatur.

2. Gravior quaestio est, num haeres, etsi ipse legitimo tempore bona fide rem possederit, propter malam fidem defuncti nunc tandem cognitam a praescriptione impediatur. Cui quaestioni ita respondendum esse censeo:

1) Haec quaestio movetur solummodo contra verum haerem, non contra legatarium; posterior enim praescriptionem 10 vel 20 annorum perficere potest: ejus rei rationem colliges ex iis, quae infra sub 4) dicuntur.

2) Haeres, qui per 30 annos (scilicet si agitur de bonis non privilegiatis) rem bona fide possedit, probabiliter in conscientiae foro etiam eam suam fecit, quum omnes actiones personales et reales post 30 annos dicantur extinctae esse, adeoque etiam extinctum sit jus agendi contra haerem: quod qua ratione in conscientia valeat, ex supra dictis colliges. Imo si qua difficultas videatur adesse ex jure Austriaco, Borussiano, utrum nimirum universim haec actionum judicialium extinctio concipiatur pro debitoris immunitate in conscientia, annon: haec difficultas relate ad haereditatem et haerem evanescit ex eo, quod leges illae expresse admittunt, haerem bonae fidei, qui succedat defuncto malae fidei, posse praescribere. Jus Austr. § 1462; J. Boruss. § 614. (Cf. Pruner *Moraltheol.* ed. 2 p. 567 not. et p. 562 nota 3, Reuter p. 3. 96 cum aliis, Gury I. n. 590.)

3) Ante tempus 30 annorum elapsum saltem tenetur in conscientia dominum rei *indemnem* facere, adeoque aut rem ipsam aut ejus valorem reddere et simul alia damna reparare: idque solus, si est haeres ex

asse; pro rata, si haeres partialis est. Nam haeres secundum omnia jura sicuti in bona, ita in debita realia sui antecessoris transit, saltem pro viribus haereditatis. At defunctus mala sua fide ex delicto contraxit erga verum dominum rei obligationem reparandorum omnium damnorum, quorum maximum illud est, quod dominus versetur in periculo per modum praescriptionis bona sua amittendi.

4) Jus Austriac., Boruss., Bavaric., quum haeredem, etiam universalem, agnoscant pro persona juridica ab antecessore distincta, debent consequenter admittere, haeredem per triennem, decennem, vicennem possessionem vere acquirere dominium; utut ex actione damnificativa antecessoris, antequam hujus liberativae praescriptionis legitimum tempus (30 annorum . . .) elapsum sit, si tanta fuerit haereditas, *valorem rei cum valore aliorum damnorum priori domino restituere debeat*. — Jus vero Romanum haeredem universalem (sive ex asse, sive ex parte) tamquam unam personam cum antecessore considerat: quapropter in tali haereditate non agnoscit titulum novum, quo haeres a defuncto tamquam ab altero rem acquirere possit; neque jus Gallicum vult rem alienam eodem modo ab haeredibus, sicut ab extraneis, per transmissionem vel praescriptionem acquiri (v. a. 2237 et 2239): proin neque rei immobilis, neque mobilis acquisitiva praescriptio ante 30 annos potest admitti<sup>1</sup>.

In praxi autem non semper idem est, quomodo a legibus haeres et haereditas considerentur, etiam quando plena haeredis liberatio post 30 annos tandem perficitur. Fac enim, plures esse haeredes, ad unum vero transiisse certam rem a defuncto mala fide possessam. Secundum jus Romanum illius rei prior seu verus dominus immediate ab illo uno haerede rem suam repetere potest, quamquam haeres ille fortasse aliquem recursum partialem ad cohaeredes habeat: at secundum leges illas, quae haereditatem pro vero titulo acquirendi atque haeredem pro persona juridica ab antecessore distincta habent, elapso *ordinario* praescriptionis tempore prior dominus non ab uno illo haerede rem suam integram, sed a singulis haeredibus pro rata partem tantum valoris suae rei potest repetere; nisi forte propter alia quaedam adjuncta creditori competat jus solutionis integri debiti repetendae sive ab omnibus, sive a singulis haeredibus.

926 III. De titulo dominii translativo. Jam quaedam modo tetigi de titulo. Nimirum quatenus actiones et modi habeantur pro

<sup>1</sup> Sine causa igitur a Rohling *Medulla theol. mor.* pag. 159 Gury severe reprehenditur, quod ejus solutio contineat „pessimam contradictionem, quum jus civile nunc invocet nunc rejiciat, fictionem illam juris (qua haeres censetur una persona cum antecessore) gratis fingat.“ Nam idipsum, quod Gury docet, haeredem saltem immediatum ex titulo universali succedentem in perficienda praescriptione pejoris conditionis esse, quam alios, omnes scriptores ex ipsa juris constitutione manifesta docent (v. etiam Pruner *Theol. Moral., Eigenthumserwerb*, § 7. not. 3. pag. 562); solum differunt, quando loquuntur sive de praescriptione tricennali, sive de mediati haeredis praescriptione etiam ordinaria.

titulo dominii translativo, ex singularum regionum juribus accuratius videri debet. Propter discrimen autem, quo alia ab aliis juribus, aut interpretes ab interpretibus discrepent, maxime attende, quid valeat: 1) circa *haereditatem*, de qua jam satis dictum est; 2) circa *sententiam judicis*: haec quidem admittitur ut titulus, si actus judicialis est de rebus dividendis, aut si agitur de adjudicanda mulcta, quae ab altero solvenda sit, aut de qualibet sententia punitoria. — Sententiam autem *de re vindicanda* pro titulo usucapionis haberi posse, negat Puchta, docens, eam tantummodo bonam fidem possessoris confirmare posse, qua hic putat, titulum, *qui aliunde haberi debeat* et habeatur, esse justum (V. *Pandecten* § 157 not. m. et *Praelectiones de hodierno jure Romano* seu: „Vorlesungen über das heut. röm. Recht“ § 157), alii affirmant. At sententiae illae diversae re ipsa non adeo discrepare videntur, si cum titulo bonam fidem conjungendam esse attendimus. Sententiam enim judicis in se solam spectatam esse titulum verum, absolute dici nequit; si enim injusta fuerit, nequit vere jus conferre. Sed nisi injustitia *pateat* vel *cognoscatur*, justam esse sententiam, seu in ea ferenda causas a litigantibus allatas per judicem secundum leges juste discussas atque ponderatas esse, praesumitur: ita ut judicis sententia in et cum allatis causis evadat titulus aut *verus* aut *coloratus*; ut enim illa in vitioso titulo nitatur, i. e. in causis, quas litigantes attulerunt, aperte falsis, atque ita sententia ipsa titulus vitiosus fiat, ordinarie accidere nequit.

Quantopere necessarium sit, in hoc praescriptionis negotio leges regionis attendere, ostendit imprimis jus Anglicum, quod a reliquis juribus multum discrepat. Subjungo pauca, quae contraxi ex Crolli *de jure et justitia* tom. I. n. 599 sqq.

I. Jus Anglic. nullam admittit praescriptionem mobilium.

II. Circa bona immobilia et jura in ejusmodi bona (uti usus, usufructus etc.), ut praescriptione acquirantur:

1. requiritur et sufficit nunc (ex stat. Gul. IV.) usus non interruptus 30 annorum; imo sufficit probatio non interruptae possessionis per 20 annos, ut juris praesumptio existat, rem a tempore immemoriali in possessione fuisse. Atque recentius (37 et 38 Vict. c. 52) statutum est, ut domus, agri et alia immobilia corporalia omnino praescribantur, si per 12 annos neque reditus soluti, neque debiti recognitio in rescriptis sit facta.

2. Si quis autem a jure suo prosequendo impeditus erat, illo tempore contra ipsum praescriptio non currit, spatium illud inter 30 annos requisitos non numeratur.

3. Attamen, etsi legale impedimentum exstiterit, 60 annis praescriptio completur.

4. Titulus quidem specialis non requiritur; verum si contra possessorem probatur titulus *vitiosus*, praescriptio nihil juvat.

5. Crolli putat, ex mente juris Anglici esse, ut sufficiat bona fides sive positiva sive negativa. Negativam ita intelligit: si quis plane conscius quidem sit, se non ex jure suo actiones quasdam in re aliena exercere, eas tamen palam, i. e. *sciente et non contradicente* domino, per legitimum tempus ex praesumpto vel *tacito consensu veri domini* exercuerit, eum post tempus praescriptionis jus illud plane acquisivisse, etiam in foro conscientiae: l. c. n. 610.

III. Servitutes rusticae activae spatio 20 resp. 40 annorum acquiruntur.

IV. Jura autem extinguuntur per non-usum 20 annorum; imo iudices possunt,

*spectatis circumstantiis*, sententiam ferre ante elapsos 20 annos, dominum voluisse juri suo cedere: qua sententia lata, jus prioris domini prorsus extinctum manet.

V. Actiones judiciales ad solvenda debita ex contractu simplici aut ex delicto orta infra sex annos (nisi legale adfuerit impedimentum) intendi debent; alias actionis instituendae jus exstinguitur: aliae actiones contra debita ex firmiore contractu orta infra 20 annos intendi possunt. — Attamen, teste Crolly, haec praescriptio in conscientia non liberat, si de debito *constat*. Debitor igitur eatenus tantum in conscientia uti potest praescriptione illa legali, ut in dubio debiti contracti aut jam soluti immunis evadat.

NB. Difficultas circa haerem bonae fidei, qui succedit possessori malae fidei, aut difficultas circa bona (furto vel) vi possessa in jure Angliae locum non habet, quum ex una parte ejusmodi bona non magis protegantur quam alia, ex altera parte autem pro *qualibet* praescriptione tantum temporis spatium requiratur, quod alia jura fere in bonis privilegiatis postulant. (V. Crolly, n. 611.)

In juribus Americanis, quae ceteroquin praescriptionem immobilium et mobilium admittunt, tempus requisitum adeo diversum assignatur, ut in qualibet regione accuratius videri debeat, quid juris sit; tempus videlicet legale inter 5—40 annos quoad bona immobilia versatur.

## Sectio II.

### Laesio juris alieni in bonis externis seu fortunae.

#### Caput I.

##### De gravitate illius peccati ejusque materiae.

<sup>928</sup> De laesione juris alieni in genere deque ejus gravitate jam antea egimus. Haec ad praesentem materiam, i. e. ad bona externa applicanda sunt. Quae laesio duobus praecipue modis fit, aut sola damnificatione, aut injusta rei ablatione. Specie morali per se non differt unus modus ab altero, *diversae* tamen injuriae *personales* accedere possunt. Quae si non accedunt, tota malitia realis in ipsa *bonorum alienorum laesione* consistit. Consequitur, ut quae de rei alienae ablatione ejusque gravitate dicturi sumus, etiam de mera damnificatione valere debeant.

Injusta rei ablatio fit 1) per *furtum*, quae est *occulta* rei alienae injusta ablatio; 2) per *rapinam*, quae est ejusmodi ablatio *violenter facta*; 3) per *fraudem* vel defraudationem, quae est bonorum sive jurium laesio et diminutio, dolosa circumventionem peracta.

Haec igitur distinctiones factae sunt secundum *diversum modum*, quo aliena bona vel jura auferuntur et occupantur. Secundum *diversam conditionem bonorum*, quae auferuntur, vel subjecti juridici, a quo auferuntur, habes alias distinctiones, praesertim: 1) *peculatum*, si bona ad fiscum pertinentia auferuntur; 2) *sacrilegium*, si bona sacra vel ecclesiastica sunt.

Specifica distinctio vel accessio novae malitiae mortalis praeter injustitiam habes per se tantum in *rapina* et in *sacrilegio*.

1. Etenim ratio, quod res, e. g. pecunia, pertineat ad fiscum, illi non imprimit eam conditionem, ob quam specialis malitia mortalis deprehenda-

tur in hujus potius rei, quam in rei cujusvis laesione. Diversam enim ab aliis rebus conditionem hanc solam habes, quod res illa ad communitatem spectat, ad quam et ipse fur pertineat. At haec conditio si quid mutet, peccatum potius diminuat. Ceterum ipsam *hanc* rationem diminuendi peccati non ita urgere possumus, ut propterea peculatus malitia notabiliter decreseat; sed innuisse sufficit, non constitui diversam novamque gravem malitiam.

2. Neque in *fraude* essentialis malitia gravis distincta a furto habetur. Accidentaliter quidem distinctio, sive distinctio circumstantiarum vel aggravantium vel diminuentium, quae tamen peccatum ad aliam speciem mortalis malitiae non transferunt, neganda non est: fraus enim *primo et per se* mendacio sive verbali sive reali committitur. Atque ita fieri potest, ut defraudatio magis etiam peccaminosa et detestabilis fiat, quam ipsum furtum. A fure enim diligentia et custodia tandem homines sibi cavere possunt, a fraudibus vero et dolis longe difficilius, quum ab astutis hominibus erga simplices et ingenuos exercentur atque in iis actionibus et negotiis, a quibus abstinere in sociali vita saepe impossibile est. Fraus igitur et dolus fidem et pacem socialis vitae corrodunt, atque ea, quae media unionis et communicationis mutuae esse debent, in laqueum vertunt ac discordiae periculum.

3. *Rapina* ex se novam mortalem malitiam addit, in ipsa vi domino <sup>929</sup> illata consistentem, eaque communiter mortalis est, neque solum in ea re, ejus ablatio mortalis est injustitia, sed etiam in leviori, quia longe facilius *personalis* injuria gravis evadit. Imo qui rapinam et latrocinium exercent, sui animi dispositione longe etiam gravius et gravissime delinquant, quum fere parati sint, quamlibet vim injustam justae defensionis opponere, atque ita ob animi propositum non tantum injustitiae et personalis injuriae uterque inferendae, sed ipsius homicidii cruentaeva invasionis, rei sunt.

4. *Sacrilegium* seu furtum sacrilegum, quando et quam malitiam simplici furto addat, videre ex iis licet, quae supra de religione atque vitiis religioni oppositis tractantes diximus. Neque dubium est, malitiam sacrilegii, quatenus religionem laedit, peccato injustitiae gravius esse; attamen determinatio materiae, i. e. quatenus gravis, quatenus levis seu venialis sit, ex ipsa *justitiae* laesione desumitur.

Haec de *specificis* peccatorum contra justitiam in rebus fortunae <sup>930</sup> occurrentium distinctione sufficiunt.

Gravior quaestio ea est, *quatenus* *quantitas* requiratur, ut peccatum damnificationis vel furti mortale sit; parvitatem enim materiae admittendam esse, cuilibet perspicuum esse debet.

In qua quaestione solvenda objectivam gravitatem quaerere debemus, eamque in fixo determinatoque rei ablatae valore collocare, ita ut, quod infra certum valorem auferatur, mortale peccatum objective non sit. Haec igitur norma non prorsus deservit confessario ad dignoscenda peccata commissa, ut scilicet cognoscat, utrum poenitens graviter an leviter deliquerit, sed potius ad hoc, ut sciat, utrum gravis obligatio restituendi adsit neene. Gravior enim aut leviter poenitens *peccasse* censendus est, prout ipse in furto committendo quantitatem ablatam gravem aut levem *aestimavit*; gravis vero *restituendi obligatio* ab eo etiam pendet, utrum *objective* gravis fuerit